Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1779

Quelle:
Copyright:

in peccato originali, et qui tenet contrarium, male credit et peccat mortaliter et eſt hereticus, et quod feſtum conceptionis Marie non eſt celebrandum. Iſta ego reuoco tamquam falſa et male ſonantia et erronea et ſcandaloſa, preſumptuoſa mala et diſplicentia bonorum intellectuum et piarum aurium offenſiua. Item ante XIIII annos ego tranſtuli Jeremiam de latino in gallicum de 11°. capitulo usque ad 30, et impertinenter ibi tractaui vnam queſtionem, ſcilicet. vtrum virgo maria fuerit concepta in originali peccato, fateor me in hoc male feciſſe et preſumptuoſe egiſſe, quem librum ſubmitto correctioni matris mee vniuerſitatis Paryſienſis. (In hoc libro, qui jam periit, συνεγγον, teſte Quetifo, habuit F. Johannem Adae) *Item predicaui auinionis publice quod vniuerſitas Pariſienſis alias reuocauerat, hoc erat contra doctrinam ſancti Thome, et ipſa doctrina Sancti Thome erat tota approbata per papam Vrbanum quintum. Iſta ego reuoco et dico, quod mater mea vniuerſitas pariſienſis nunquam erravit in fide nec contra bonos mores, nec vnquam reuocauit, ſed ſemper fuit luminare et defenſatrix fidei. Item dixi coram rege, quod qui tenent virginem mariam conceptam ſine originali peccato, illi faciunt contra doctrinam Sancti Pauli. Iſtud ego reuoco tamquam falſum et preſumptuoſe dictum. Item ego ſuſtinui XIIII. propoſitiones iſtius de Monteſono et in hoc peſſime feci, ymo dico, quod ipſe eſt locutus et male, in quibus ipſum ſuſtinebam. Item ego dabam ſibi conſilium et fauorem, et ſedebam iuxta ipſum in conſiſtorio adherendo ſibi, dico quod in hoc male feci. Item dico quod condemnatio iſtarum XIIII propoſitionum fuit bene, iuſte et ſancte facta, tam per vniuerſitatem, quam eciam per epiſcopum pariſienſem, et iuro per deum, quod ammodo non adherebo dictis quatuordecim propoſitionibus. Nec Magiſtro Johanni de monteſono fauorem dabo nec conſilium contra ſententiam tam epiſcopi quam vniuerſitatis, nec amplius defendam, ymo oppoſitum faciam. Ecce talia iſte Magiſter hic iam ter reuocauit, et adhuc debet ſemel coram populo, et ſemel coram clero reuocare. Similiter vniuerſitas pariſienſ. perſecuta fuit confeſſorem Regis francie* (Guilelmum de Vallon Ep. Ebroicenſem) *ſuper eisdem articulis et propoſitionibus, et oportebat ipſum coram rege cum magna confuſione reuocare. Sic ergo fratres predicatores hic pariſius nec legunt nec predicant, ſermones enim quos diebus dominicis in conuentu eorum faciebant, in vniuerſitate tam ſeculares quam religioſi diebus dominicis predicant ſecundum ordinem antiquitatis eorum, et Baccalarii faciunt collationes, et ſic habent iam Baccalarii exercitium ſermonum, quod prius habere non ſolebant ipſi. Propter contrauerſiam predictam ſtatutum eſt in vniuerſitate, quod ſi aliquando*

fratres